



## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE TRIBVS BONORVM || operum generibus,||  
ELEEMOSYNA,|| IEIVNIO ET ORATIONE;|| deque eorundem  
operum vi, vsu, & || ratione, LIBRI TRES,|| AVCTORE ||  
THEODORO PELTANO SO-||cietatis IESV Theologo.|| AD ...**

**Peltanus, Theodor Anton**

**Ingolstadii, 1580**

Ad Lectorem Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46891](#)

AD LECTOREM  
PRÆFATIO.

UR aliquid per otium interdum  
scribam, id alibi amice Lector, di-  
sertè exposui. Hoc porrò tritum &  
vulgare Argumentum quamob-  
rem nunc demum scribendo sim persecutus, ex  
Epistola toti libro præfixa cognoscas licet. Paucis  
instituti mei rationem atque modum disce.  
Equidem non omnia, quæ de Eleemosyna, Ieiunio,  
& Oratione disputari potuissent, mihi hoc  
Opere explicanda censui: Quippe quæ adeò mul-  
ta sint, uti quamuis molli brachio tractentur,  
nimis tamen longum futurum sit. Quæ potiora,  
eorumq; officiorum maximè propria videban-  
tur, ea, ut breuiter ac perspicuè literis manda-  
rem, elaborasse me non inficior. Fortè quō ten-  
debam non perueni, adeoq; exspectationem tuam  
non prorsus expleui: Interim consumpti labo-  
nis nequaquam pœnitet.

★★

Nam

AD LECTOREM

Nam et si hilibrī præstantibus exercitatisque  
Theologis haud multum fortassis, mediocribus  
tamen & iis, qui in sacrarum literarum disci-  
plina nullos adhuc, aut certè perquam tenues  
progressus habent, aliquid, ut planè confidimus,  
emolumenti sunt allaturi. Quando non omni-  
bus in Philosophia, & reconditis illis Scholasti-  
corum Theologorum questionibus etatem licet  
conterere: Iis præsertim, qui post breue tempus  
in liberalibus studiis collocatum, sacerdotium  
ineunt. De quo hominum genere bene qui me-  
retur, is profectò Ecclesiae, religionique Catholi-  
ca utilissimam nauat operam. Siquidem illi,  
cùm Parochiis administrandis præpositi, non  
sint eo ingenio prædicti, nec ea doctrina imbuti,  
ut aliquid sua persona suóque officio dignum  
possint ad populum effari, quod quidem ex ipso-  
rum pœnu depromptum sit, nec acutè conclu-  
sas rationes intelligentia facile consequi valeat,  
(Ex quo etiam fit, ut quipiam à schola Theolo-  
gis mutuati, imprudentes interdum errant, du-  
bia nimirum pro certis, & falsa pro veris in me-  
dium adferentes) quiuis iustus rerum aſti-  
tor videt, fructuosam valde Ecclesiae operam il-  
los

PRÆFATI O.

los sumere, qui ad tardiorum illorum pastorum  
captum sese dimittentes, ita doctiorum inge-  
niis obsequuntur, ut indoctorum longè maio-  
rem rationem ducant. Neque verò hac eam in  
partem accipi velim, quæ dico, quasi acutos in-  
signiterque eruditos Scriptores despiciam, aut  
quosdam hebetis ingenij ineptosq; commendem;  
absit, sed ut intelligatur, illos quoq; Ecclesiæ stu-  
dere, qui in medio consistere malunt, quām ita  
scribere, (quod quidam nonnunquam faciunt)  
ut semetipos, prænimitia subtilitate quandoque  
non sat is capiant, nouisque argumentis pertra-  
ctandis vulgi rumusculos aucupari videri que-  
ant potius, quām operam dare, ut rebus notissi-  
mis paulò commodius explanatijsq; edifferendis  
ad communem utilitatem aliquid adiungant.  
Mediocritatem rectè auream, hoc est, rebus o-  
mnibus anteponendam & ubiq; consecrandam,  
vocauit Flaccus, quam nemo sapiens unquam  
sibi negligendam putabit.

Tandem cùm alijs quinque, alijs duo talen-  
ta acceperint, eaque rectè collocent, liceat mihi  
in iis numerari, qui unicum illud suum, quod  
acceperunt, in terram minimè defodiunt. Illæ

\*\*\* 2 sunt

AD LECTOREM PRÆFAT.

sunt, quæ p̄fari volebam, mi Lector, ne scri-  
bendi tractandique rationem, quam cūm hīc,  
tum alibi quoque usurpamus & usurpauimus,  
inconsideratiūs reprehenderes, quod reliquum  
est feliciter vale, & nostrum in Ec-  
clesiam studium candide  
interpretare.



C API-